

I + II

I PRAEFATIO

Quae quondam sueras pulchro decorata libello
carmen in Augusti ferre, Thalia, manus,
ostro tota nitens, argento auroque coruscis
scripta notis, picto limite dicta notans,
5 scriptoris bene compta manu meritoque renidens
gratificum, domini visibus apta sacris:
pallida nunc, atro chartam suffusa colore,
paupere vix minio carmina dissocians,
hinc trepido pede tecta petis venerabilis aulae,
10 horrida quod nimium sit tua nunc facies.
hos habitus vatis praesentia fata merentur;
vix locus hoc saltem praebuit unde venis.
suppliciter tamen ire potes dominumque precari:
squalor et hae sordes conveniunt miseris.